



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

3. Resoluuntur aliquot dubia ex doctrina præcedenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

Deitate vnita, mediâte supposito creato, qui proculdubio est minus perfectus modus vnionis; ergo tunc non sanctificaretur summè, nec perfectissimè; ergo sanctificaretur minùs, quàm nunc, & per consequens redderetur minùs impeccabilis.

27
Dissoluitur.

Respondetur, in illo casu minus quidem perfectè sanctificandam humanitatem, quàm nunc, non tamen minùs sanctificandam, quàm nunc. nam, vt diximus suprà *disp. 16. sect. 4.* tunc dicitur magis sanctificari humanitas, quâdo per formam sanctificatè ordinatur radicaliter, & intrinsecè ad maiorem gloriam, & beatitudinè: cum autem per illam vnionem cum Deitate medio supposito creato ordinaretur sufficienter humanitas radicaliter ad quemlibet gradû gloriæ, & gratiæ habitualis, nulla enim esset gratia ad eam intentâ, quæ superaret dignitatem illius humanitatis sic vnitæ diuinitati, consequens est, quòd non minus sanctificaretur humanitas in illo casu, quàm nunc in persona Christi: non tamen sanctificaretur ita perfectè, quia non vniretur immediatè cum sanctitate increata, sed mediante supposito creato. Stat autè bene, nò minùs sanctificari, licet sanctificetur minùs perfectò modo, sicut suprà *disp. 6. sect. 1.* diximus, merita Christi omnia habere infinitum, & æqualem valorem, non tamen omnia esse equalia; quia licet singula possint mereri idè premium, nec possit esse premium ad eam excellens, vt non possit illud mereri quodlibet meritum Christi, non tamen habent omnia æqualem vim ad illud merendum, sed in æqualem, iuxta maiorem, vel minorem excellentiam singulorum meritum; sic cū proportionè in præsentì dicendum est, æqualiter sanctificari humanitatem per quamlibet ex illis vnionibus, hoc est, non ordinari radicaliter ad maiorem gratiam habitualem, vel gloriam per vniam, quàm per aliam; nec dignificari ad merendum aliquod premium per sua opera, ex dignitate, quàm nunc habet, ad quod etiam merendum non dignificaretur in illo casu: non tamen esset æquè perfecta in se illa sanctificatio, cum perfectius comunicetur Deitas, quando comunicatur immediatè, quàm cum solum comunicatur mediatè. Aduerte tamen, quòd in vtroque casu comunicaretur intrinsecè, & sanctificaret intrinsecè. Sicut enim calor non dicitur reddere substantiam calidam extrinsecè, sed intrinsecè, licet non afficiat illam immediatè, sed mediatè, hoc est, media quantitate, cui calor immediatè inheret, iuxta communem sententiam; sic Deitas immediatè vnita supposito creato non diceretur extrinseca humanitati, sed intrinseca mediatè, quòd sufficit ad sanctificandam perfectè illam, vt diximus suprà *disp. 16. sect. 2.*

Aduertendum.

SECTIO III.

Resoluntur aliquæ dubia ex doctrina præcedenti.

28
Illatio prima.

EX dictis inferitur primò, repugnare Christo peccatum habituale, sicut repugnat actuale, quia cum summa sanctitate non minùs opponitur vnium, quàm aliud: quare si humanitas assumpta peccasset ante assumptionem eo ipso quòd allumeretur, mudaretur omnino ab omni macula præcedenti. An verò possit assumi natura, quæ peccauerit ante assumptionem, dicam *sect. sequenti.*

Illatio secunda.

Infero secundò, si per possibile, vel impossibile

assumeretur humanitas à Verbo, retinens propriam subsistentiam, adhuc eam humanitatem non posse peccare in proprio supposito. nam licet tunc fortasse non peccaret Deus per communicationem idiomatum; (quia non peccaret suppositum diuinum, sed creatum, quòd non erat Deus) adhuc ipsa humanitas peccaret, quæ cum sanctificetur summè à Verbo per vnionem, non magis posset tunc peccare, quàm potest nunc sine subsistentia propria.

Infero tertio solutionem illius dubij frequentis in hac questione, an vnio hypostatica pugnet physicè, vel solum moraliter cum peccato? Alii enim volunt esse repugnantiam physicam, alij moralem, alij addunt esse moralem ex natura rei. Sed questio est de vocibus. nam si per repugnantiam physicam intelligas eam, quæ fundatur in ipsa rei entitate, & appellari potest repugnantia intrinseca; proculdubio talis est repugnantia vnionis cum peccato: si verò intelligas repugnantiam inter extrema physica, certum etiam est, non repugnare physicè vnionem cum peccato, quia peccatum, præsertim habituale, non est ens physicum, sed morale.

Ex hoc insurgit aliud dubium, quomodo vnio physica possit impedire peccatum? ex quo pendet solutio argumenti, quo nititur Durandus, & alij, vt negent impeccabilitatem provenire formaliter ratione vnionis: quia scilicet principium proximum eodem modo se habet in Christo posita vnione ad operationes liberas eliciendas, ac si non esset vnio.

Respondetur tamen faciliè distinguendo: aut enim loquimur de peccato habituali, aut de actuali: de habituali eodem modo dicendum est, tolli formaliter per vnionem, sicut tollitur per gratiam habitualement, quæ est sanctitas inferior; nam sicut formaliter immediatè gratificat subiectû, & reddit amabile, ita formaliter tollit maculâ, vel odibilitatem, quam includit peccatum habituale.

De peccato verò actuali rursus distinguendum est; aut enim loquimur de peccato positiuo, aut de merè negatiuo. Peccatum positiuum est actus positius elicitus liberè contra legem, & hunc impedit vnio hypostatica impediendo essentialiter concursum requisitum in actu primo ad talem actum, exigit enim essentialiter, ne exhibeat Deus humanitati assumptæ concursum ad actum malum. Peccatum verò negatiuum est pura omisso libera actus præcepti, & hæc (si possibilis est) impeditur etiam ab vnione, quatenus vnio essentialiter exigit, quòd proposito præcepto humanitas prædeterminetur ad obediendum, vel data ei cognitione ad eam clara, vt necessitè omnino ad operandum, vel negata boni contrarij cognitione, vel saltem negato ei concursu ad eiu modi operationem, ex quo fiet, vt omisso operationis non sit iam libera, & per consequens non fit culpabilis: si autem non potest dari pura omisso libera, (vt mihi verius est) tunc eodem modo loquendum est de necessitate ad vitandum peccatum negatiuum, ac positiuum. Vtrumque enim impeditur per carentiam concursus diuini ad actum malum. An verò constet cum hac impeccabilitate libertas necessaria ad merendum per opera præcepta, dicemus infra.

Infero vltimò, eodem modo impediti essentialiter per vnionem peccatum originale. Possit

mus autem in peccato etiam originali considerare duplex illud peccatū, scilicet habituale, & actuale. Habituale quidem contrahitur a puero in instanti conceptionis, quo incipit puer non quidem peccare, sed esse in peccato. Et de hac macula habituali certum est, non potuisse reperiri cum vnione, sicut nec maculam habitualement ex peccato proprio personali. Peccatum verò originale actuale est ipsum peccatum Adæ, quatenus moraliter fuit actio mea, & per quam dicor ego verè peccasse in Adamo, & de hoc potest esse maius dubium, an licet humanitas assumpta non potuerit contrahere maculam habitualement, nec habere peccatum habituale simul cum vnione, potuerit saltem illa humanitas peccasse moraliter in primo parente; ita tamen, vt in primo instanti suæ existentie non contraxerit maculā, quia tunc per assumptionem fuit sanctificata; sicut multi sentiunt de Beata Virgine peccasse in Adamo, licet semper, & in primo etiam instanti conceptionis fuerit sancta & immaculata. Et quidem questio nō procedit de facto: certum enim est, Christum, nec contraxisse maculam, nec peccasse in Adamo, nec contentum fuisse in pacto, cum non fuerit filius Adæ per naturalem propagationem. Questio ergo solum est de possibili.

In qua questione distinguendum videtur. Potest enim considerari, quod Deus includeret in pacto Adæ hanc humanitatem Christi, prout distinguitur a supposito, vel quod includeret hunc hominem in concreto, prout dicit personam humanam, sicut de facto, includit omnes posteros Adæ, non enim fecit eum caput morale solum humanitatum in abstracto, sed hominum in concreto, seu personarum, quæ ex ipso nascerentur. Hoc ergo secundo modo non videtur potuisse Christus, seu hic homo peccasse etiam in Adamo; priori autem modo non videtur repugnare de potentia absoluta, quod eius humanitas peccasset antea in primo parente. Prima pars conclusionis probatur explicando qualis sit illa continentia moralis posterorum in Adamo; nam, vt suppono ex materia de peccato originali, nihil aliud est, quam voluntates nostras taliter fuisse in Adamum transfusas, vt actio Adæ, moraliter loquendo, censeatur actio nostra, & Petrus, v.g. censeatur moraliter peccauisse tunc, non minus, quam si tunc physicè existeret, & peccaret. Cum ergo hic homo Christus, seu hæc persona humana Christi, si tunc existeret, non posset vllō modo peccare, consequens est, vt non possit per actionē Adæ censei moraliter tunc peccasse, quia subiectum incapax omnino de se peccandi, non potest censei moraliter antea peccasse. Quis enim dicat, Deum ipsum, qui de se est omnino incapax peccandi, potuisse transfundere suam voluntatem in alium, ita vt peccante alio, censeretur moraliter peccare ipse Deus: sanè hoc impium esset & blasphemum. Similiter ergo dici non potest, Christum potuisse in alio peccare; cum supponamus, Christum in concreto, etiam vt hominem esse omnino, & essentialiter incapacem peccandi.

Secunda verò pars conclusionis, quod scilicet humanitas illa secundum se potuerit antea contineri in Adamo, & peccare in illo; probatur, quia non magis repugnat vnioni hypostaticæ, quod natura, quæ assumitur, peccauerit antea moraliter per peccatum alterius, quam quod peccauerit

physicè per se ipsam, peius enim est hoc, quam illud; sed potuit saltem de potentia absoluta assumi a Verbo humanitas, quæ antea peccasset per actum proprium; ergo melius potuit assumi humanitas, quæ antea peccasset per actum alterius, in quo moraliter contineretur.

Dices: repugnare, quod fuerit contenta moraliter in Adamo hæc humanitas, & non vt subsistens, quia hæc humanitas debuit contineri moraliter, qualis postea erat futura; non enim continebatur humanitas tunc existens, sed extitura; postea autem non erat futura humanitas abstracta, sed subsistens; ergo non continebatur ibi humanitas abstracta, sed subsistens; ergo continebatur hoc suppositum Christi, & per consequens peccauit tunc moraliter hoc suppositum.

Respondeo distinguendo maiorem, debuit contineri moraliter hæc humanitas, qualis postea erat futura secundum suam entitatem, concedo; qualis erat futura ex parte aliarum conditionum, qualis est subsistentia, nego; quia potuit Adamus fieri caput huius humanitatis, & nō vt subsistentis. Contineri enim moraliter in Adamo nihil est aliud, quam fundamentum, quod habent homines ad iudicandum eum, qui continetur peccasse tunc, perinde ac si tunc existeret, ac proinde moraliter, seu æquiualeuter extitisse tunc: sicut ergo potuit hæc humanitas, quæ nunc est subsistens, existeret tunc physicè, & operari sine hac subsistentia, & sine vlla alia de potentia absoluta, (vt suppono ex disp. 12.) ita potuit hæc humanitas secundum se contineri taliter in Adamo: vt operante Adamo censeretur operari hæc humanitas perinde ac si ipsa tunc existeret sine subsistentia, licet nunc non existat sine illa. Existeret ergo tunc moraliter hæc humanitas sine subsistentia, hoc est, taliter continebatur in Adamo, vt in ordine ad peccandum perinde se haberet, ac si tunc existeret physicè sine subsistentia; & operaretur cum Adamo: in quo nulla apparet repugnantia in ordine ad potentiam Dei absolutam.

Hinc tamen suboritur aliud dubium, an possit assumi hypostaticè humanitas, quæ antea mortaliter peccauit?

P. Suarez in præsentī disp. 33. sect. 2. circa finē, dicit fieri posse de potentia absoluta; non tamen de potentia ordinaria. Ego fateor, minus decere illam naturam ad vnionem, quam aliam naturam innocentem: non tamen concipio repugnantiam aliquam quæ ex natura rei repugnat; præsertim si præcedat retractatio peccati.

Rursus inquiris, an in eo casu verè dici posset, hic homo peccauit, vel hoc suppositum peccauit, designato supposito diuino.

P. Vasq. in præsentī, disp. 61. n. 19. ingenuè fatetur tunc per communicationē idiomatum dici posse, Deus peccauit, quia vna humanitas in duobus suppositis nō cōstituit duos homines, sed vnū ergo idem homo est, qui peccauit, & qui nunc est Deus; ergo hic homo peccauit; ergo Deus qui est hic homo. Ex quo etiam infert, si Deus assumeret humanitatem, quæ antea erat huius suppositi Petri filij Ioannis, postea Dei futurum filium Ioannis per communicationem idiomatum, quia iam Deus est ille homo, qui prius erat filius Ioannis.

P. Suarez ubi suprà negat illam loquutionem, Deus peccauit, esse veram etiam in eo casu: tum quia fortasse non est idem homo, qui peccauit, &

qui nunc est Deus; tum etiam, quia ad communicationem idiomatum requiritur, quod utraque natura sit in eodem supposito: tunc autem suppositum peccans fuisset aliud à supposito diuino.

36
Indicium au-
thorice.

Ego quidem in hac questione, quæ tota est de modo loquendi, distinguendum existimo; aut enim humanitas peccauit ante assumptionem existens per se sine vilo supposito, vel peccauit subsistens in aliquo supposito creato. In primo casu sicut sola peccat humanitas, & non homo; ita post assumptionem verum erit dicere, *Hæc humanitas peccauit*. non tamē, *hic homo*, vel, *hoc suppositum*. In secundo verò casu verum videtur post assumptionem dicere, *hic homo peccauit*, non tamen *hoc suppositum*, vel *Deus peccauit*. Hæc omnia probari videntur ex iis, quæ dixi *disp. 13. sect. 3.* ubi ostendi, *hunc hominem* significare aliquod suppositum huius humanitatis: at verò *hoc suppositum* determinare suppositum, & non naturam. Quando ergo dicimus, *hic homo peccauit*, idem valet, ac si dicas, *suppositum huius humanitatis peccauit*, quod est verum, si hæc humanitas ante assumptionem peccauit in alio supposito: non tamē potest dici, *hoc suppositum peccauit*, quia supponis non fuisse hoc, sed aliud suppositum peccans: & ideo etiam non potest dici, *hic homo peccauit*, casu, quo humanitas peccauerit sine vilo supposito, quia non peccauit tunc aliquod suppositum huius humanitatis, sed sola humanitas.

37
Effugium.

Dices, ponamus ergo quod peccauerit humanitas in aliquo supposito, postea verò separatur ab omni supposito, poterit ne de illa tunc dici, *hic homo peccauit*? Certè id non videtur posse concedi, quia nunc nullus existit homo, de quo id asseritur; ergo regula illa non est vniuersaliter bona. nam iuxta illam esset vera illa propositio: cum enim *hic homo* significet suppositum huius humanitatis, verum esset dicere in illo casu, *hic homo peccauit*, quia verum est dicere, *suppositum huius humanitatis peccauit*.

Eueritur.

Respondetur, iuxta ea, quæ diximus *suprà illa disp. 13. sect. 3.* illam propositionem futuram esse falsam in eo casu; quia *hic homo*, licet nō determinet subsistentiam, sed solam naturā, significat tamen naturam subsistentem, & facit hunc sensum; *suppositum aliquod huius humanitatis subsistētis peccauit*. Vnde si heri peccauit hæc humanitas in alio supposito, hodie verò relicta illa subsistentia acceperit aliā, erit vera illa propositio: si verò hodie maneat sine vlla subsistentia, erit falsa, quia erit de subiecto non supponēti, loquitur enim de aliquo supposito huius humanitatis nunc subsistentis; cum tamen hæc humanitas nunc nō subsistat. Porro per illas voces, *hic homo*, licet non determinetur subsistentia, significari tamen humanitatem vt nunc subsistentem, constat ex ipso usu. nam vsus declarat optime, ad quid significandum fuerint voces impostæ. Constat etiam ex concretis accidentalibus, in quibus licet determinetur subiectum, forma verò significetur in confuso, & indeterminatè; adhuc significatur aliqua forma præsens: vnde quando nominās *hoc album*, determinas hoc subiectum habēs aliquam albedinem, & quidem præsentem: Quare si hoc subiectum heri habuit albedinem; hodie verò non sit albū non possumus dicere, *heri vidi hoc album*, quia nimirum hæc propositio supponit, hoc subiectum nunc esse album: si autem heri fuisset al-

bum, & hodie amissa illa albedine haberet aliam posset adhuc dici, *heri vidi hoc album*. nam illud album, & istud non sunt duo alba, sed vnum, & idem, licet habuerit duas albedines; sicut si Petrus fuit prius pater Ioannis, & nunc mortuo Ioanne sit pater Antonij, possumus dicere, *hic idē pater exsistebat anni præcedenti*. nam licet paternitas sit diuersa, idem tamen est pater. Si autem nunc nullum haberet iam filium, non possumus dicere, *hic pater exsistebat prius*; nunc enim nō est iam pater. Sic ergo nomina substantialia, quale est homo, licet determinent è contra solā naturam significant tamen subsistentiam vt præsentem, & ideo nō erit verū dicere, *hic homo peccauit*, si nunc existat iā humanitas sola absq; omni subsistētia.

Dices iterum, ergo si natura habeat nunc aliam subsistentiam, amissa priori, sicut possumus dicere, *hic homo peccauit*, poterit etiam dici, *hoc suppositum peccauit*. Probatur sequela quia omnia prædicata naturæ tribuuntur etiam eius supposito: sed de hac humanitate dicitur nunc, quod peccauit; ergo de supposito etiam, in quo est natura, poterit dici quod peccauit, licet ipsa non peccauerit in hoc supposito.

Respondeo, negando sequelam, & ad probationem negando maiorē in vniuersum sumptam. Pone enim hanc albedinem existentem heri sine vilo subiecto, & tunc fuisset visam, ponatur hodie in hoc pariete, poteris nunc dicere, hanc albedinem fuisse heri visam, non tamen poteris dicere, hunc parietem, vel hoc album fuisse heri visum; ergo nō potest dici de subiecto, quidquid dicitur de albedine. Similiter, si humanitas separata ab omni subsistentia peccauit heri, licet hodie ponatur in supposito, non poteris dicere hoc suppositum, neque hunc hominem peccasse, sed hanc humanitatem. Illa ergo prædicata, quæ naturæ competunt prout separatæ à supposito, vel prout in alio supposito, non possunt tribui huic supposito, in quo nunc est.

Hinc infero, casu quo humanitas prius tempore genita à Ioāne, assumeretur postea à Verbo, non dicendum Verbum filium Ioānis, quod si ille humanitas genita fuisset à Ioanne in alio supposito, & postea assumeretur à Verbo; diceretur quidem hic homo filius Ioannis, quia hoc solum significat, aliquod suppositum huius humanitatis subsistētis fuisse genitum à Ioanne; non tamen diceretur Deus, vel Verbum filius Ioannis. nam B. Virgo ideo dicitur Mater Dei, quia humanitas in eo instanti, quo genita fuit à Virgine, cepit etiam subsistere in Verbo; alioquin si postea vni-retur Verbo, non diceretur Mater Dei, vt docet S. Thomas *infrā 1. 2. art. 4.* & probat latè Suar. *infrā 2. rom. disp. 1. sect. 1. & disp. 12. sect. 2.*

Dices: de facto humanitas fuit genita à Virgine prius natura, quam assumeretur à Verbo, (vt dixi *suprà disp. 13.*) & tamen Virgo dicitur Mater Dei; ergo licet humanitas gigneretur prius tempore, posset Virgo dici Mater Dei.

Respondeo negando consequentiā, quia prioritas naturæ nō tollit coexistentiā realem, quæ sola significatur quando dicimus, Virginem genuisse Deum, scilicet genuisse humanitatem subsistentem tunc in persona Verbi: licet non subsisteret pro illo priori naturæ, pro quo genita est: sicut dicimus cōtritio fieri ab homine iusto, propter similitudinem temporis, licet sit prior natura, quam

quam hominem esse iustum. Si verò non esset si-
mul tempore, non diceretur fieri ab homine ius-
to, sed ab homine peccatore. Imò suspicor, in
huiusmodi loquutionibus requiri plerumque co-
existentiam realem, non solum tēporis, sed loci:
atque adeò, si humanitas Christi existeret Romæ
non vnita Verbo, & ibi flagellaretur, non dice-
retur Verbum flagellari, licet eadem humanitas
in alio loco esset vnita Verbo: sicut si albedo sit
Romæ sine subiecto, & ibi videatur, non dicitur
videri paries, cui eadem albedo vnita est in alio
loco, sed sola albedo dicitur visa: quod non po-
test melius probari, quam ex cōmuni modo con-
cipiendi, & loquendi. Dixi tamen, plerumque
requiri cōexistentiā localem formæ, quia aliquæ
sunt denominationes, quæ non requirunt cōexis-
tentiam, nec temporis, nec loci: sicut possum di-
cere, *vidi Deum flagellatum*, licet nō viderim fla-
gellationem, &c. Item possumus dicere, ostensa
Eucharistia, *ecce Christum regnantem in celis*, li-
cet prout in Eucharistia non sit in celo. Quæ au-
tem sint denominationes huius, vel illius signifi-
cationis, pendet ex vltu, qui ostendit optimè in-
tentionem loquentium per illas voces.

Restat aliud dubium, an potuerit assumi hypo-
statice humanitas retinens non culpam, sed tamen
reatum pœnæ pro culpa antea commissâ?

Suarez vbi supra negat de pœna æterna, quia
hanc necessariò comitatur culpa; concedit verò
de reatu pœnæ temporalis. Valquez *cap. 6. n. 35*.
negat de vtraque, quia per vnionem ita fit grata
humanitas, vt digna sit carere omni malo. Ego
magis assentior Suarzio, quia reatus pœnæ tempo-
ralis non est culpa, sed effectus culpæ, & obliga-
tio passiva ad soluendum pro culpa præterita: si-
cut autem potest compati vnio secum obligatio-
nem ex voto, vel præcepto, cur non ex culpa præ-
terita? sicut gratia habitualis sanctificat omni-
no, & expellit culpam grauem, non tamen debi-
tum totius pœnæ pro culpa graui præterita; cur
non poterit vnio admittere illud debitum? Fateor
operationem illius naturæ assumptæ habere infini-
tum valorem, & ideo quamlibet operationem
posse cōdignè expiare omnem reatum pœnæ, sed
in primis posset natura illa non operari: deinde
posset Deus non acceptare satisfactionem alio-
quin valde condignam pro debito pœnæ: sicut
dixi sæpe in superioribus posse Deum non acce-
ptare satisfactionem hominis iusti pro debito
pœnæ temporalis, licet alioquin sit condigna, vt
tradunt communiter Theologi.

Dices: vnio hypostatice dat eo ipso ius ad vi-
sionem beatam statim habendam; ergo tollit de-
bitum totius pœnæ; quia dum est reatus pœnæ,
non debetur visio pro tunc.

Respondeo, vnionem quidem exigere de se ex
natura rei visionem, & per consequens exigere
etiam, vt remittatur statim tota pœna: cæterum
sicut potest Deus non obstante ex exigentia ne-
gare visionem, imò cruciare, & affligere eam hu-
manitatem; ita potest de potentia absoluta non
condonare pœnam: quare humanitas tunc exi-
geret radicaliter carentiam illius debiti, formaliter
tamen haberet debitum pœnæ, & debitum
carendi pro tunc visione beata.

Quod verò attinet ad pœnam æternam, non
videtur posse non deleri eius reatum; quia licet
sit mihi credibile, posse manere reatum pœnæ
æternæ ablata culpa de potentia absoluta; sicut

manet de facto reatus pœnæ temporalis ablata
omni culpa; imò fortasse posse de potentia abso-
luta perseverare cū ipsa gratia habituali reatum,
id est, debitum proximum carendi visione, & pa-
tiendi ignem æternum pro culpa præterita: cæte-
rum in humanitate assumpta videtur hoc repu-
gnare, quia quantumcumque peccasset antea illa
humanitas; condignè soluet non solum in ratione
satisfactionis, (quam posset Deus nō acceptare),
sed etiam in ratione satisfationis per pœnam
temporalem, & finitam pro omnibus culpis præ-
teritis: sicut enim in republica humana exilium
Principis per duos annos computatur pro pœna
æquali cum exilio hominis plebei per decem
annos, quia nobilitas personæ patientis aggrauat
moraliter pœnam: ita punitio hominis Dei per
vnum annū ratione infinitatis personæ, licet non
sit pœna simpliciter infinita, cum possit esse alia
maior, est tamē infinita secundum quid, qualis est
pœna æterna puri hominis finita secundum in-
tensionem: nam sicut ista est simpliciter finita, &
infinita secundum quid, hoc est, ex parte duratio-
nis; ita pœna personæ infinitæ per vnum annum
esset simpliciter finita, sed infinita secundum quid,
hoc est, ex parte personæ punitæ; non ergo mane-
ret in humanitate assumpta reatus ad pœnam
æternam, sed reatus ad aliquam pœnam, quæ ra-
tione infinitatis personæ equivaleret pœnæ æter-
næ alterius puri hominis, non tamen censetur
omnino extingui ille reatus, sicut extinguitur
omnino culpa per vnionem hypostatice: nam
culpa quidem ita deletur, vt si postea illa natura
relinqueretur à Verbo, non rediret macula culpæ
præteritæ: at verò in reatu pœnæ non sic esset:
nam si illa natura, antequam pareretur aliquid
vnita Verbo, dimitteretur ab ipso deberet iterum
pœnam æternam: nam reatus formaliter acceptus
non fuerat extinctus, sed solum quasi materialiter,
quatenus pœna temporalis tunc ratione per-
sonæ æstimaretur tanta, quanta pœna æterna pu-
ri hominis, cum tamen illa pœna temporalis non
fuisset posita, oporteret postea pati æternam;
quia pœna temporalis iam non sufficeret, cum
esset pœna puri hominis.

SECTIO IV.

*Utrum potuerit esse in Christo fomes, vel
habitus vitiosi, vel aliquis actus
malus ex obiecto?*

Nomine fomitis intelligitur appetitus potif-
simè sensitiuus inclinans ex natura sua ad
bonum sensibile etiam contra rationis dictamen;
& quidem ita expeditus, vt possit rationem præ-
uenire, vel illi resistere. Hunc fomitem extinxit
Deus in primis parentibus in statu innocentie:
item in B. Virgine saltem ab instanti, quo conce-
pit filium: dicitur autem fomes aliquando ligari,
aliquando extingui. Ligatur, quando per extrin-
secam Dei prouidentiam remouetur occasiones,
quibus insurgat eius operatio contra rationem:
extinguitur verò, quando ita subordinatur ratio-
ni, vt nō possit nisi ex rationis imperio prodire, &
nō magis, quam ratio permittat, sine hoc fiat per
habitus siue per aliam qualitatem, siue per caren-
tiam concursus diuini: de quo non est in præsentī
disputandum. Nunc enim supponimus, fomitem
fuisse extinctum in Adamo ante peccatum, &
hoc supposito, inquirimus, seu consistemus, hoc
ipsum

44

Fomes pro ap-
petitum sensiti-
uo.

Fomes ali-
quando liga-
tur, aliquan-
do extingui-
tur.